

1509 Patavio venerat, probabatur : tametsi Gradonicus legatus & Naldius audendum & conandum esse dicerent, oppidumque obsideri, & muros verberari oportere contendebant. Inter quos cum minus convenire potuisset, scriptis ab legatis ad Senatum de ea controversia literis, quid ab eo juberentur, expectare constituerunt. Senatus legatis respondit, imperatori se totam rem permittere : confidere se se, quod e republica sit, illum facturum. Atque interim, quoniam ab Lemniaco milites equitesque reipublicæ cum agrestium manu ab ea regione quæ trans Athesim est, ad Veronæ muros jussu imperatoris se conferebant, ipse quoque suo ab latere partem exercitus ad oppidum misit, ut hostes duobus a lateribus peti se intellicherent, civitasque ea re magis magisque perinoveretur. acciditque, ut utrique sæpius cum hostibus congressi, non paucos ex iis caperent, plures etiam interficerent, præliisque secundissimis se reciperent. neque tamen is, qui futurus putabatur, oppidanorum motus fuit : neque civitas parte ab ulla deditioñis vocem aut indicium protulit. Eas ob res relicto ad Suavium præsidio, Epirotis adjectis equitibus, qui quotidie ad Veronæ portas currerent, & pabuli, cuius magnopere hostes indigebant, copiam eis fieri prohiberent; imperator ad Montanianum recipiendum cum reliquo exercitu profectus, qui oppidum reipublicæ nomine peterent, mane adveniens præmisit. Præfectus Alfonso tueri se illud velle cum respondisset, tormentis statim positis muri partem Veneti celeriter dejecerunt. qua re oppidani permoti deditioñem facere volentes, modo ipsi militesque suis cum rebus tuti ab exercitu essent, recepti non sunt. itaque postridie direptionem atque interitum veriti, se se nulla conditione interposita dediderunt. Erant in oppido Alfonsi milites equitesque septingenti, qui omnes armis, equis exuti sunt. Augustinus Villa præfectus in custodia habitus, ut cum eo Federici Vendramini, qui propinquus legato Gritto erat, atque in municipio eorum finium Abatia, cui præerat, paulo antea captus Ferrariæ custodiebatur, permutatio fieret. Postero die Atestini ad rem-

*Verona fru-  
stra oppu-  
gnatur.*

*Oppida mul-  
ta revertun-  
tur in Vene-  
torum si-  
dem.*